



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXXVIII. Domine, ne in furore tuo, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Imago nusquam gloria:
 Nusquam manent uestigia
 Cunctis grauis potentia.
 Iusti intueri & integri
 Vitæ statumq; & ordinem,
 Videbis alto in otio
 Lætam senectam degere.
 At prompta semper lædere
 Prorsum interibit factio:
 Vitamq; claudet terminus
 Dignus patraris nequiter.
 Iustus salutis collocat
 Omnem in Deo fiduciam:
 Qui fulcit æquos robore,
 Aduersa quum fors intonat.
 Dominus petenti fert opem,
 Et in periculis liberat
 Ab impijs qui se & suam
 Illi salutem credidit.

PSAL. XXXVIII. Domine, ne in furore tuo, etc. Carm. gen. 3.

NE me furoris æstuante incendio
 Seruator orbis argue:
 Neu promerentem quamlibet pœnas graues
 Pergas per iram plectere.
 Hærent medullis penitus infixæ meis
 Tuæ sagittæ dexteræ.
 Iræ tuæ hinc me & inde mentis conscia
 Sic uis pauentem perculit,
 Ut nulla plagis faucij pars corporis

E iij

Non langueat lethalibus:
 Ossa ut solutis artuum compagibus
 Sceleris uenenum attraxerint:
 Sceleris profundo quod meum ceu gurgite
 Caput resorbens obruit:
 Quod in alta rursus me renitentem uelut
 Immane saxum degrauat.
 Veteris cicatrix uulneris recruduit,
 Vomitq̄ tabem luridam.
 Afflictus, humilis ultimis premor malis,
 Luctu situq̄ squalidus.
 Clausumq̄ cæcis feruet in præcordijs
 Ulcus, nec ulla corporis
 Expers doloris pars uacat. Sic debilis
 Et fractus usq̄ & usq̄ sum,
 Malis ut impar uoce lamentabili
 Cor eiuletq̄ & rugiat.
 Dominator orbis, uota nec animi mei,
 Nec te latent suspiria.
 Pauens tremensq̄ turbidum cor palpitat:
 Defecta membra uiribus
 Torpore marcent languido: noctem trahens
 Caligat acies luminum.
 Vicini, amici, & sanguinis communio
 Quos propior admorat mihi,
 Procul abstiterè, fœditatem uulnerum
 Vix sustinentes cernere.
 At prompta semper in meum exitium manus,
 Molita uim nefariam,
 Dolosa tendit continenter retia
 Frau-

Fraudesq̄ uersat impias.

Ceu mutus ore, surdus aure, ego interim
Obtorpui silentio,

Elinguis instar & stupentis, crimina
Qui nesciat refellere.

In te reposita est spes mea: ô rerum potens
Rector benignus annue.

Ne risus hosti sim superbo, qui meis
Insultat insolens malis:

Qui, si uacillent lubrico lapsu pedes,
Læto triumphat gaudio.

Ad perferenda sum paratus uerbera:
Vibice semper area

Cruenta turgēt exarati corporis
Sulcis flagrorum grandibus.

Merui scelestus fateor, heu merui: nocens
Do iure pœnas debitas:

Sed inualescit hostis atrox interim,
Viresq̄ sumit factio.

Viuunt, uigentq̄, & immerentem iniuria
Me prosequuntur: pro bono

Malum rependunt: iugiter calumnias,
Quia recta sector, ingerunt.

Tu ne recede longius, neu deseras
Periculis in ultimis.

Accurre: dextram da salutarem, meæ
Salutis auctor unice.

PSAL. XXXIX. Dixi, custodiam, &c.

Carm. gen. 3.

E v